

v. g., dona a quibusdam hominibus, qui forte eam seducere intendunt, accipiat; non convenit autem quod in hoc casu ascendentes donationem pro minore acceptare possint.

Donationes communitatibus, v. g., xenodochiis, ecclesiis, seminariis, etc., factas acceptare possunt earundem communitatum administratores, postquam facultatem acceptandi a Præsidente reipublicæ per decretum vel a præfecto obtinuerunt. *Cod. art. 937.* At si superior communitatis aliquid ei donaret, v. g., episcopus suæ diocesi, in decreto designaretur alia persona quæ nomine instituti (*établissement*) acceptaret, quia eadem persona non potest dare et acceptare.

Donatio legitime acceptata eo ipso est perfecta, et dominium rei ad donatarium etiam ante traditionem pertinet. *Cod. civ. art. 938.* Attamen si bona data sint mobilia et non tradita, atque alteri donentur aut vendantur ac tradantur, tunc ad posteriorem, modo non sit malæ fidei, vi legis positivæ pertinent; idque propter bonum publicum fuit statutum, ne possessiones in bona fide obtentæ turbarentur. *Cod. civ. art. 1141.*

Punctum tertium. — *De revocatione donationis.*

Quamvis donatio inter vivos ex natura sua sit irrevocabilis et proprietatem pro semper donatario hic et nunc transferat, in nonnullis tamen casibus revocari potest, nempe:

1° Si donator expresse stipulatus fuerit bona ad se reditura esse, ex hypothesi quod donatarius solus, aut donatarius et descendentes ejus ante ipsum decederent; hæc enim stipulatio est conditio resolutoria, vi cujus contractus licet validus dissolvitur: sed requiritur ut expressis verbis et in solius donatoris gratiam existat. *Cod. civ. art. 195.*

Per hanc donationis revocationem seu resolutionem bona donata, quomodocumque a donatario aut ejus ascendentibus alienata fuerint, ad donatorem redeunt ab omni

hypotheca et a quolibet onere libera, excepta tamen hypotheca pro dote assecuranda; dummodo eodem matrimonii contractu hæc bona donentur quo hypotheca gravantur. *Cod. art. 952.*

2° Si donatarius non impleat condiciones sub quibus facta fuerat donatio, tunc revocari potest, et bona ad donatorem, sine nulla exceptione, redeunt ab omni onere libera. *Art. 954.*

3° Donatio revocari potest ob donarii ingratitude, scilicet 1° si mortem donatori inferre tentaverit; 2° si vim exercuerit, delicta erga eum commiserit, aut graves injurias ipsi intulerit; 3° si alimenta ei necessaria recusaverit. *Cod. art. 955.* Hæc revocatio nunquam pleno jure, sed sola judicis auctoritate fieri potest; fructus autem rei, seu *interesse*, a die quo petita est revocatio debentur. Hæc vero revocationis petitio fieri debet intra primum annum ex quo donator delictum aut ingratitude donarii cognovit, aut cognoscere potuit. *Artic. 956 et 957.* Illa donationis revocatio nocere non potest eis qui bona donata sive per donationem, sive per alium contractum obtinuerunt antequam revocationis petitio in indice hypothecarum inscriberetur. *Art. 958.* Unde donator recursum ad donatarium habet ut pretium bonorum alienatorum, vel compensationem oneribus iisdem impositis æquivalentem obtineat. Nemo prævidere potest donationem ob ingratitude esse revocandam, quia delictum non præsumitur: ergo convenit hanc revocationem non nocere eis qui jus in prædicta bona acquisierunt antequam revocationis petitio inscriberetur.

Donationes in gratiam alicujus matrimonii factæ, ob ingratitude revocari non possunt; non solum enim in gratiam sponsorum factæ reputantur, sed in gratiam infantium qui ex illo matrimonio forte nascentur vel nati sunt, *Cod. art. 959*: igitur convenit illas revocari non posse.

4° Quæcumque donatio ipso jure et absque judicis sententia revocatur, si proles donatori nascatur, aut si proles illegitima per subsequens matrimonium legitimetur; nam

donator præsumitur dare noluisse, nisi sub conditione tacita quod legitimam non haberet prolem; et, etiamsi revocationi huic renuntiasset, nihilominus illa in favorem prolis, ipso jure, locum haberet. Imo, donatio ista sic revocatur ut nunquam reviviscere queat, neque per mortem prolis, neque per actum confirmatorium, sed per novam tantum donationem. *Cod. civ. art. 960, 964 et 965.*

Quando donatio sic ob prolem supervenientem revocatur, bona a donatario aut causam ejus habentibus alienata, ad donatorem redeunt libera ab omni onere et hypotheca. *Art. 963.* Acquisitores bonorum hujusmodi revocationem prævidere potuerunt, illiusque probabilitatis valorem æstimare debuerunt: ergo non decipiuntur. Insuper recursum habent contra venditorem, qui eos reddere tenebitur indemnes, nisi forte debitis suis sit impar. Eadem ratio locum habet in casibus numeris 1º et 2º expositis.

§ III. — De regulis specialibus testamentis.

De formis testamentorum et eorum revocatione hic acturi sumus.

Punctum primum. — *De formis testamentorum.*

Ex dictis, omnes jure naturali bona sua alteri per testamentum sub qualibet voluerint forma transferre possunt; sed lex positiva semper majorem requisit solemnitatem ad testamentum quam ad alios contractus, quia illusio et deceptio facilius in hujusmodi contractibus existere possent quam in contractibus inter vivos. Præterea, qui inter vivos contraxit, facultatem habet contra dispositionem reclamandi, si velit; defunctus vero, si fuerit deceptus, contra testamentum reclamare non potest: lex igitur merito majores requirit solemnitates ad constituendum testamentum.

Omnia testamenta sine ullo scripto facta, sub pœna nullitatis jam fuerant stricte prohibita edicto anni 1735. Nunc pariter in novo Codice sub eadem pœna prohibentur: nam in art. 1001 statuitur quod formalitates quibus

diversa subjiciuntur testamenta, sub pœna nullitatis observari debeant, et in art. 893 declaratur neminem de bonis suis titulo gratuito disponere posse, nisi per donationem inter vivos aut per testamentum in formis a lege præscriptis: at inter formas pro diversis testamentis præscriptas nulla fit mentio de testamento absque scripto; imo oratores qui motiva hujus legis publice discussurunt, et præsertim D. *Jaubert*, dicunt quod in materia testamentorum omnia stricte sint accipienda: nulla igitur admitti potest dispositio testamentaria absque scripto. Sed, præmissa doctrina quam superius exposuimus, præsens conclusio non excludit donationes sine scripto, si traditio locum habeat.

Triplex distinguitur testamentum, scilicet olographum, solemne et mysticum. Unumquodque suas habet regulas in Codice civili descriptas, ab art. 967 usque ad art. 980.

Testamentum *olographum*, sic dictum a duobus verbis græcis, *ολος, entier, γραφω, j'écris*, est illud quod propria manu testatoris integrum fuit scriptum cum indicatione anni, mensis, diei, ac nominis ejus appositione in forma chirographi. Hæc omnia sub pœna nullitatis necessaria sunt: nullas requirit alias speciales formalitates, *Art. 970.* Unica vox manu aliena in corpore testamenti scripta illud prorsus nullum efficeret. Ita *Delvincourt*, t. 1, p. 777, et *Toullier*, t. 5, p. 329. Interpositiones seu scripturæ inter lineas sunt validæ, si manu testatoris fuerint scriptæ, etsi non approbatæ.

Lituræ (*les ratures*) annullant dispositiones deletas, si testamentum in possessione testatoris existens et illius sigillo obsignatum reperiatur; secus supponi posset illas alterius esse opus, et tribunalia haberent facultatem pronuntiandi dispositiones deletas non annullari. Ita *Delvincourt*, t. 1, p. 777.

Hujusmodi testamentum in libero fieri potest papyro, id est, non signato (*papier non marqué*); at si ad justitiam deferatur, mulcta pecuniæ erit solvenda. Valebit autem in quocumque loco fuerit conditum, sive in regno, sive in terra aliena, et etiam ubi tale testamentum non est in

usu. *Art. 999.* Semper tamen necesse est ut dispositio clare sub conditione mortis facta videatur; alioquin reputaretur donatio inter vivos, et testamentum nullum. Ita *Paillet*.

Caveat adhuc testator, si de pluribus in scripto suo loquatur personis, ne aliquam exprimat vel exprimere videatur substitutionem prohibitam; nam tunc, sive volens, sive nolens id fecisset, testamentum esset nullum; vide paragraphum sequentem, ubi de substitutionibus prohibitis.

Item, si duo vel plures eodem actu testamentum suum instituissent, sive erga extraneos, sive erga se invicem, actus ille prorsus esset nullus. *Art. 968.*

Qui testamentum olographum facit, unum aut plures simul instituere potest ejusdem testamenti executores, et illud uni ex illis vel alteri personæ tutius committet, ne ab hæredibus suis post ipsius mortem destruat. *Art. 1025.*

Si hæredes defuncti negent testamentum ab ipso testatore fuisse scriptum, hanc assertionem probare non tenebuntur, inquit *Delvincourt*, t. 1, p. 778; sed legatarius probare debet illud esse genuinum opus defuncti; nam hæredes vi legis defuncto succedunt: extraneus igitur ostendere debet titulum quo eos jure legitimo privabit. Hæc autem probatio non semper est facilis: fieri debet per *expertos* qui illud scriptum cum aliis ejusdem hominis scriptis authenticis comparant et scripturæ identitatem attestantur, *Code de procédure civile*, art. 200; per testes etiam obtineri potest. *Eod. Codice*, art. 195 et 211.

Omne testamentum olographum, antequam executioni mandari queat, præsentari debet judici in tribunali primæ instantiæ præsidi, qui illud, post examen sufficiens, apud talem aut talem notarium custodiri jubebit. *Cod. civ. art. 1007.* Si legatarius sit universalis, tunc præses illum per sententiam mittet in possessionem bonorum sic legatorum; secus vero legatum ab hæredibus postulabit. *Art. 1006 et 1008.*

Sæpe fideles a parochis vel a confessariis petunt quomodo testamentum facere possint aut debeant. Propterea

interest ut sacerdotes ministerium sacrum exercentes apud prime noscant quidquid ad testamentum, præsertim olographum, pertinet, tum ut sit licitum, tum ut sit validum, sive pro foro externo, sive pro foro interno, alioquin vel non respondebunt quando respondere deberent, vel male respondebunt et injustitiæ frequenter rei erunt.

Sic inter Christianos testamentum olographum institui potest:

AU NOM DE LA TRÈS-SAINTE TRINITÉ,

PÈRE, FILS ET SAINT-ESPRIT.

Je, soussigné, Louis Pierre N. propriétaire, demeurant à... déclare que le présent écrit est mon testament, que je veux être fidèlement et ponctuellement exécuté après ma mort: je charge pour cet effet N. et N. d'y veiller exactement et d'en prendre soin comme pour eux-mêmes.

Lorsqu'il plaira à Dieu de me retirer de ce monde, je le prie par les mérites de son Fils adorable, par l'intercession de la très-sainte Vierge, des anges et des saints, d'oublier mes péchés et de recevoir mon âme dans le sein de sa miséricorde.

Je veux que mon corps soit enterré à..... qu'on fasse célébrer pour le repos de mon âme.... messes.... services....

Je donne... à....

Fait à.... le....

« Le testament ne serait pas nul si la date était en chiffres; cependant il vaut beaucoup mieux la mettre en toutes lettres. Après la date, le testateur signe comme il a coutume de signer, mettant son vrai nom de famille, auquel il ajoutera, s'il veut, les surnoms de terre, de religion, etc. Il faut, sous peine de nullité, que son nom soit mis en forme de signature. » *Paillet*, sur l'art. 970.

« Si le testateur voulait établir quelqu'un son légataire universel, après le préambule convenable, il peut se contenter de mettre ce peu de mots :

» *J'institue N. mon légataire universel ; ou bien : Je donne à N. tout ce qui m'appartiendra au moment de ma mort.*

» S'il y avait des héritiers nécessaires, et qu'il voulût donner à quelqu'un ce dont il peut disposer en sa faveur, il peut en toute sûreté se servir de cette formule :

» *Je donne à N. tout ce que les lois, au moment de ma mort, me permettront de lui donner.*

Testamentum *solemne* seu per actum publicum, est illud quod per duos notarios in præsentia duorum testium, aut per unum notarium in præsentia quatuor testium suscipitur. *Art. 971.* Juvat hic ipsamet Codicis verba referre.

Art. 972. « Si le testament est reçu par deux notaires, il leur est dicté par le testateur, et il doit être écrit par l'un des notaires, tel qu'il est dicté. S'il n'y a qu'un notaire, il doit également être dicté par le testateur, et écrit par le notaire. Dans l'un et l'autre cas, il doit en être donné lecture au testateur, en présence des témoins.

» Il est fait du tout mention expresse. »

Art. 973. « Ce testament doit être signé par le testateur ; s'il déclare qu'il ne sait ou ne peut signer, il sera fait dans l'acte mention expresse de sa déclaration, ainsi que de la cause qui l'empêche de signer. »

Art. 974. « Le testament devra être signé par les témoins, et néanmoins dans les campagnes il suffira qu'un des deux témoins signe, si le testament est reçu par deux notaires. Deux des quatre témoins signent, s'il est reçu par un notaire. »

Art. 975. Ne pourront être pris pour témoins du testament par acte public, ni les légataires à quelque titre qu'ils soient, ni leurs parents ou alliés jusqu'au quatrième degré inclusivement, ni les clercs des notaires par lesquels les actes seront reçus. »

Notandum est quartum gradum consanguinitatis et affinitatis, in stylo Codicis, eundem esse ac secundum in jure canonico, vel primum ad tertium. Testes debent insuper esse masculini sexus et ætate majores. *Cod. civ. art. 37 et 980.*

Testamentum *mysticum* seu secretum ab eis adhibetur qui scribere non possunt, et volunt tamen dispositiones suas manere occultas ; aut, si scribere possint, timent ne testamentum suum olographum non diligenter custodiantur vel ne aliqua circa illius authenticitatem postea oriatur controversia : per tale testamentum hæc præcavent incommoda. Multæ requiruntur solemnitates ut hujusmodi testamentum valeat ; cum non sit frequens in praxi, hic non discutimus regulas quibus subjicitur. Unusquisque eas in Codice civili, ab articulo 976 usque ad art. 980, legere potest.

Cum facile inveniri possint casus in quibus impossibile esset unum ex tribus testamentis modo expositis facere, et cum aliunde lex in materia testamentorum omnes strictè prohibeat formas quas non determinavit, alias instituit testamentorum species pro militibus, navigantibus, morbo contagioso laborantibus, et eis qui apud extraneos quiescunt. Regulæ pro diversis illis testamentis in Codice reperiuntur, ab art. 981 usque ad art. 1001.

In omnibus et singulis testamentis dispositio fieri potest sub titulo hæredis vel legatarii, aut sub qualibet denominatione quæ sufficienter voluntatem testatoris manifestet. *Cod. civ. art. 967.*

Legatum autem potest esse vel universale, vel titulo universali, vel titulo particulari. Est *universale*, quando testator uni aut pluribus conjunctim personis omnia bona sua donat ; est *titulo universali*, quando certam totius hæreditatis partem, v. g., dimidiam, tertiam, quartam, tota mobilia alicui legat ; est vero *titulo particulari*, quando testator aliquam dat partem honorum suorum in se determinatam, v. g., suam bibliothecam, decem fr. millia, etc.

Speciales legis dispositiones, quæ ad diversa hæc legata spectant, hic non referemus, nec alias quæ ad testamentorum exsecutores respiciunt ; facile legi possunt in Codice civili, art. 1002 et seq.

Punctum secundum. — *De revocatione testamentorum.*

1° Omnia testamenta, sub quacumque forma sint facta,

semper a testatore revocari possunt. *Art.* 895. Illa legis dispositio evidens habet fundamentum in rerum natura; quæcumque enim donatio testamentaria non nisi morte testatoris perficitur: testator igitur dominium boni sui usque ad mortem retinet: ergo dispositionem suam semper revocare potest.

2° Duplici modo autem hoc facere potest, expresse videlicet et tacite. Expresse quidem, per novum testamentum validum aut peractum coram notario quo mutatio voluntatis suæ exprimitur. Si novum condiderit testamentum, de priori nihil dicens, prius eo ipso erit nullum pro dispositionibus quibus posterius erit oppositum, non vero pro aliis. *Cod. art.* 1035 et 1036. Testamentum posterius nullum defectu formalitatum, prius non revocat, quia iudice non constat testatorem suam voluntatem mutavisse: secus, si nullum esset ob incapacitatem vel renuntiationem legatarii. Vide *Toullier*, t. 5, n. 630 et seq.

Tacite vero testamentum suum revocat, si bona legata, aut aliquam eorum partem alteri transmittat, sive per donationem, sive per venditionem, sive per commutationem, etiamsi alienatio hæc esset nulla; nam semper manifestum esset mutationis voluntatis signum. Sed revocatio locum habet tantum pro bonis quæ testator alienavit aut alienare tentavit, non vero pro aliis remanentibus. *Cod. art.* 1038.

3° Hæredes revocationem testamenti varias ob causas petere et obtinere possunt, nempe 1° si legatarius conditiones per testamentum ipsi impositas non impleat; 2° si testatorem occiderit, aut vitam illi auferre tentaverit; 3° si erga eum sævitias exercuerit, vel alicujus delicti aut gravis injuriæ reum se constituerit; 4° si memoriam ejus conviciatus fuerit. Verum in hoc postremo casu petitio rescissionis fieri debet intra primum a die convicii annum. *Cod. civ. art.* 1047.

Si legatarius ante testatorem moriatur, vel priusquam impleatur conditio sub qua dispositio fuit expressa, testamentum erit caducum. *Art.* 1039 et 1040. Etenim lega-

tarius nullum habet jus ante mortem testatoris: si ergo prior moriatur, jus ad hæredes suos non transmittet. Item si res legata ante mortem testatoris, vel etiam post mortem ejus sine culpa hæredis perierit. *Art.* 1042.

§ IV. — De regulis donationibus cum onere restituendi specialibus, et de substitutionibus.

Donationes cum onere restituendi illæ sunt in quibus donatarius bona sibi data aut certam eorum partem alteri transmittere tenetur: vocantur etiam substitutiones et fidei-commissiones.

Duplicis generis distinguuntur substitutiones seu fidei-commissiones; aliæ scilicet in quibus donatarius bona sibi data aut aliquam eorum partem statim alteri remittere tenetur; aliæ vero in quibus eadem bona aliquo tempore conservare ac postea alteri tradere debet.

Prioris generis substitutiones sunt licitæ et validæ, modo persona cui bona statim sunt remittenda, ad accipiendum sit habilis, tum absolute, tum respectu donatoris; nam tales substitutiones non prohibentur. Imo articulus 889 Codicis civilis eas approbat, aut licitas esse supponit. Præterea, quædam substitutiones ideo prohibentur, quia circulatio bonorum impeditur: at bonorum circulatio ibi non impeditur: ergo. Vide *Delvincourt*, t. 1, p. 268 et 826.

Hinc substitutiones occultæ vel simulatæ in foro interno sunt validæ, modo in favorem inhabilium non fiant, et aliunde donator sit habilis ad donandum, et portionem sibi permissam non excedat, v. g.: legatarium meum universalem instituo Petrum cui in secreto intentiones meas aperio, ut illas post mortem meam impleat; hæc dispositio erit valida si bona mea statim dare debeat, quia in dispositione ista nihil est directe contra legem, siquidem bona non conservantur.

Substitutiones autem secundi generis, nempe donationes sive inter vivos, sive per testamentum, in quibus donatarius bona sibi data aut certam eorum partem conservare et alteri postea transmittere tenetur, sunt ipso jure et ante judicis sententiam nullæ, etiam respectu ipsius dona-

tarii, sicque bona ad donatorem vel ad ejus hæredes statim redeunt. *Cod. art. 896.* Hæc nullitas non est tantum pro foro externo, sed etiam pro foro interno; alioquin bona directe contra intentionem legislatoris possiderentur, quod admitti non potest.

Ut ergo substitutio sub prohibitione legis cadat, necesse est quod donatario imponatur obligatio stricta rem alteri restituendi postquam eam certo tempore servaverit. Quale autem requiratur tempus, non est expressum; communiter censetur intelligendum esse, sub jure nostro, de tota donatarii vita. Unde si per tempus brevius res servanda esset, non ut stricte prohibita haberetur substitutio.

Testamentum quo secundus instituitur legatarius, ex hypothesi quod prior legatum accipere nolit, aut non possit, substitutio prohibita non reputatur, nam in hoc casu bona non conservantur ut postea alteri tradantur. *Cod. art. 898.*

Valet similiter donatio qua ususfructus uni, et proprietas alteri datur; nam uterque statim fit rei sibi legatæ dominus, videlicet unus habet usumfructum et alter proprietatem. *Art. 899.*

Valet adhuc testamentum sub conditione resolutoria factum, v. g. : do villam meam Petro sub conditione quod eam nepoti meo, si sacerdos ordinetur, transferat. *Art. 1040.* Dominium hic et nunc transfertur Petro qui villam meam poterit vendere, locare, in hypothecam dare; sed hi omnes contractus, conditione adveniente, resolvuntur, ut supra diximus, et villa ad nepotem meum, si sacerdos ordinetur, omnino libera veniet; in substitutione autem nullo modo donatarius disponere posset de objecto sibi tradito, et ratio est fundamentalis cur vera substitutio prohibeatur, dum dispositio sub futura conditione non prohibetur. Ita *Delvincourt*, t. 1, p. 827. Sæpe difficile est substitutionem a donatione sub futura conditione distinguere, sed in dubio pronuntiandum est puram esse donationem et non substitutionem, quia donator non præsumitur dispositionem lege prohibitam facere voluisse. Sic ibidem *Delvincourt*.

Sapientissime tamen lex nonnullas permittit substitutiones proprie dictas in favorem liberorum, quorum pater dissipator, cuncta consumendo, eos ad paupertatem et miseriam redigeret. Sic 1º pater et mater omnia bona quorum liberam habent dispositionem, uni vel pluribus ex infantibus suis dare possunt, sive per donationem inter vivos, sive per testamentum, cum onere ea conservandi et liberis ex ipsis natis vel nascituris in primo gradu transmittendi, *Cod. civ. art. 1048*; vel usque ad secundum inclusive. *Loi du 17 mai 1826.*

2º Imo bona, de quibus ex art. 913, 915 et 916 disponere licet, donari poterunt a quocumque etiam non consanguineo nec affini, in toto vel in parte, per actus inter vivos aut per testamentum, cum onere ea conservandi ac reddendi uni aut pluribus liberis donatarii, natis vel nascituris, usque ad secundum gradum inclusive. *Loi du 17 mai 1826.* Sic gravis inducta est modificatio art. 1048 et 1049 *Cod. civ.*

Requirebatur in utroque casu ut substitutio esset in gratiam omnium infantium natorum vel nasciturorum, sine ulla exceptione sexus aut ætatis, *Cod. art. 1050*: at, ex lege diei 17 maii 1826, dispositio nunc potest fieri in gratiam unius aut plurium, cum aliorum exclusione. Si unus ex illis ante testatorem moreretur et relinqueret descendentes, hi eam substitutionis partem obtinerent quam defunctus habuisset, si vixisset, siquidem eum repræsentant. *Cod. civ. art. 1050.*

Aliæ regulæ quæ ad hujusmodi substitutiones spectant, legi possunt in Codice civili, art. 1052 et seq.

Quælibet donatio cum onere restituendi personis quæ a lege inhabiles declarantur, est omnino nulla etiam respectu donatarii, *art. 911*; non potest enim esse valida respectu eorum a quibus restitutio esset facienda, cum inhabiles supponantur; nec respectu donatarii, siquidem donator rem illi transferre non intendit. Ergo.

§ V.— De partitionibus ab ascendentibus inter descendentes.

Qui hæredes in linea collateralis tantum habet, bona sua

illis pro nutu distribuere potest, sive per donationem inter vivos, sive per testamentum; nam de omnibus bonis suis disponere posset erga extraneos: ergo *a fortiori* ea hæredibus distribuere potest in forma consueta.

Pater et mater vel alii ascendentes bona sua suis descendentibus similiter dividere possunt per donationem inter vivos aut per testamentum, sub conditionibus, solemnitatibus et regulis pro donationibus et testamentis ordinariis statutis. Unde si hæc partitio fiat per actum inter vivos, non nisi bona præsentia pro objecto habere poterit. *Art. 1075.*

Si donator moriens quædam relinquat bona quæ in donatione, seu in partitione, non fuerint comprehensa, ea inter omnes hæredes secundum legitimas succedendi regulas dividuntur. *Art. 1077.*

Requiritur autem sub pœna nullitatis ut partitio ab ascendentibus, vel a patre aut a matre facta, sit in favorem omnium descendentium, sine ulla exceptione, etiam in favorem nepotum, in quantum stipitem ex quo proveniunt repræsentant. *Art. 1078.*

Hæc partitio erit rescindibilis, si unus ex descendentibus plus accipiat quam lex permittit, et in omni casu, si unus ultra quartam partem sibi debitam frustretur (*s'il y a lésion de plus d'un quart*). *Art. 1079.*

Si partitio haberet pro objecto prædium quod inter descendentes commode dividi non posset, uni valide assignari posset, cum onere pecuniæ summam aliis solvendi. Ita *Toullier*, t. 5. p. 724.

§ VI. — De regulis donationibus per matrimonii contractum vel inter sponso specialibus.

Ad favendum matrimonio, donationes inter sponso, vel ab extraneis factæ sponso, regulis tam strictis quam aliæ donationes non subjiciuntur.

Punctum primum. — *De donationibus sponso ab extraneis factis.*

Donationes quæ per matrimonii contractum ab aliis

personis fiunt sponso, in his præsertim punctis ab aliis donationibus discrepant:

1° Revocari non possunt ob defectum acceptationis, nec ob ingratitudinem. *Art. 959 et 1087.* Cum enim fiant propter matrimonium, non solum in favorem sponso, sed in favorem etiam liberorum factæ censentur: non convenit ergo eas ob defectum acceptationis vel ob ingratitudinem sponsi aut sponsæ revocari posse. At si matrimonium postea non existat, donatio erit nulla. *Art. 1088.*

2° Hæc donatio bona præsentia et futura comprehendere potest, tum in favorem sponso, tum in favorem liberorum ex ipsorum matrimonio provenientium, sive natorum, sive nasciturorum. *Art. 1082 et 1684.*

3° In donatione ordinaria inter vivos, si donator facultatem de aliquo objecto in ea contento disponendi sibi reservaverit, et antequam de illo disposerit moriatur, ad ipsius hæredes illud pertinet. *Art. 946.* E contra, in donatione per matrimonii contractum, si hujusmodi objectum sibi reservaverit, atque de illo non disposerit, illud objectum in donatione contentum censebitur, sicque valet hujusmodi donatio sub conditione a sola donatoris voluntate dependente. *Art. 1086.*

Punctum secundum. — *De donationibus quas sponsi sibi invicem facere possunt.*

Sponsi sibi invicem donare possunt, sive per matrimonii contractum, sive post contractum et durante matrimonio. Sunt regulæ donationibus per matrimonii contractum et donationibus durante matrimonio peractis communes, et sunt regulæ utrisque donationibus speciales.

De regulis generalibus.

1° Donationes istæ revocari non possunt ob prolem supervenientem, *art. 191*; nulla enim esset ratio cur propter prolem supervenientem revocarentur, cum sponsi teneantur simul prolem nutrire et educare, et cum utriusque bona ad ipsam prolem pertinere debeant.

2° De diversa bonorum suorum portione erga se invi-

cem disponere possunt sponsi pro diversis casibus in quibus constituuntur, nempe 1° si conjux donator neque descendentes neque ascendentes habeat, omnia bona sua alteri conjugi donare potest; 2° si ascendentes tantum habeat, eam partem conjugi suo dare potest quam extraneo dare posset, et insuper usumfructum alterius portionis quam lex ascendentibus ejus assignat, *art. 1094*: 3° si descendentes habeat, in quocumque sint numero, dimidiam partem bonorum suorum eo sensu conjugi suo dare poterit, scilicet, quartæ partis proprietatem, et alterius quartæ partis usumfructum, vel dimidiæ partis solummodo usumfructum, *eodem art. 1094*; 4° si descendentes ex matrimonio præcedenti habeat, et secundum matrimonium iueat, novo conjugi dare potest tantum partem filii aut filiæ minus accipientis, ac in nullo casu ultra quartam bonorum suorum partem. *Art. 1078*. Unde aliquando minus dare potest suo conjugi quam alteri personæ; nam, v. g., si unicum habeat filium, dimidiam omnium bonorum suorum partem extraneo et quartam duntaxat conjugi suo dare potest.

3° Omnes donationes inter sponso simulatæ, v. g., sub forma venditionis occultæ, vel per personas interpositas factæ, sunt nullæ juxta plures; secundum alios vero sunt tantum reductibiles. Donationes indirectæ, v. g., si quis successionem vel legato renunciaret in gratiam conjugis, non essent nullæ, nisi in quantum portionem, quæ dari potest, excederent. *Cod. art. 1099*; *Delvincourt*, t. 1, p. 863, not. 10. Reputantur autem personæ interpositæ, descendentes sponsi donatarii ex præcedenti matrimonio nati, et propinqui quorum est tempore donationis hæres præsumptus. *Cod. civ. art. 1099 et 1100*. Pro foro interno eodem modo ratiocinandum est ac de substitutionibus simulatis.

De regulis donationibus per matrimonii contractum specialibus.

Quamlibet voluerunt donationem sibi invicem facere possunt sponsi per matrimonii contractum, sub regulis in

præsenti paragrapho jam expressis. *Art. 1091*. Unde non requiritur acceptatio sub pœna nullitatis.

Attamen, si hæc donatio habeat pro objecto bona futura, aut simul bona præsentia et futura, revocatur per mortem sponsi donatarii, quando mortem donatoris antecedit, ac proinde bona ista ad liberos ex matrimonio illo natos non transeunt. *Art. 1093*. Donatio ab extraneis facta sponsis, non revocatur per donatarii mortem, *ut supra vidimus*, quia in gratiam liberorum ex illo matrimonio descendendum facta reputatur: at si per donatarii mortem revocaretur, liberi in perpetuum ea privarentur, siquidem bona tunc ad extraneum donatorem et ab eo causam habentes redirent: porro hæc ratio non existit, quando bona ad sponsum donatorem redeunt, cum liberi sint illius hæredes necessarii, et aliunde magis convenit patrem, quam diu vixerit, bonorum suorum esse dominum.

Si donatio bona præsentia tantum contineat, non revocatur per mortem donatarii, nisi hæc conditio clare fuerit expressa; statim enim donatarius acquisiit dominium, et illud ad descendentes suos vi successionis transfert. *Art. 1082*.

De specialibus regulis pro donationibus durante matrimonio factis.

Omnia bona quæ sponsi per matrimonii contractum sibi dare potuissent, eadem durante matrimonio pariter sibi dare possunt. *Art. 1049*. At hujusmodi donationes, etiam inter vivos, quamvis bona præsentia tantum contineant, semper ad voluntatem donatoris revocari possunt: ad talem revocationem uxor non indiget consensu mariti, nec iudicis auctoritate. Verum illæ donationes non revocantur per prolem supervenientem: ratio patet. *Art. 1096*.

Donationes istæ inter sponso fieri non possunt, durante matrimonio, per unum et eundem actum. *Art. 1097*.